

quod posterius cum Bachov. *d. l. limitandum existimarem*, si fidejussor ob hanc ipsam causam in subsidium acceptus fuerit, quod creditor vereretur, ne minor beneficio ætatis uteretur, ita ut tunc exceptio confusæ actionis vel obligationis elidi posset per replicationem doli. *arg. l. 3. pr. ff. de Separat.*

LIV.

Quamvis autem fidejussor debitori principali succedens ex fidejussoria causa non teneatur, pignus tamen hoc nomine a fidejussore Creditori constitutum per hanc confusionem non liberatur, sed nihilominus adhuc obligatum manet. *l. 38. §. f. ff. d. solut.* quod secus se habet, si alium fidejussorem dederit, is enim obligatione primi fidejussoris per confusionem sublata liberatur. *d. l. 38. §. f.* ratio consistit in eo, quia primus ille fidejussor subalterno suo fidejussori est loco rei & debitoris principalis. *l. 27. §. f. ff. d. fidejussor.* dictum est autem *preced. thes. 49.* quod per principalis obligationis confusionem fidejussores quoque tanquam debitores accessorii omni eximantur obligatione: quoad pignus vero nihil adest, quod rei oppignoratæ obligationem sustulerit, licet enim dominus ejus, cujus consensu in majorem crediti securitatem fuit obligatum, liber sit a fidejussione, non tamen ab omni vinculo est liberatus, cum jam sit reus principalis. *vid. Cujac. ad d. l. 38. §. f. p. 374. & seq.*

LV.

Cum ergo fidejussor debitori succedens ex causa accessionis liberetur & solum quasi heres teneatur, *l. 5. pr. ff. ad L. Falcid.* sua sponte fuit, quod tunc beneficio excussionis regulariter gaudere nequeat, inauditum siquidem est, ut remedium illud in favorem personarum accessorie tantum obligatarum introductum concedatur ei, qui principaliter est obligatus: nisi fidejussor principalis sui debitoris hereditatem adierit cum beneficio Inventarii, quia enim tunc confusio impeditur. *l. f. §. 9. C. d. Iur. deliber. vid. th. ult.* exceptio ordinis locum quidem habebit, ita ut ipse primo tanquam heres sit conveniendus, & bona hereditaria excutienda, quæ si non sufficiant, tum demum ipse tanquam fidejussor ad solutionem debiti, quod ex massa hereditaria

ditaria